14.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA DE CACHEXIA

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI

AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. Gottfried Welſchen/ Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Facultatis Medicæ in Academia Lipſienſi Senioris, Anatom. & Chirurg. Prof. Publ. Reip. ibidem Phyſici Ordinar. longè celeberrimi,

Dn. Præceptoris ac Patroni ſui

Publico examini ſubjicit

MATTHÆUS LAMPERTUS, Wſchovvenſis,

Autor & Reſpondens.

H. L. Q. C.

ad d. 9. Maji

Anno Chriſti 1662.

LIPSIÆ,

Literis Chriſtiani Michaelis.

Ze Lic. Brunnon.

Archiatro Summo Favente!

§. I.

VAria ſunt morborum genera Doctiſſimo *Joh. Fernelio de morb. Lib.* 1. c. 1. p. 3. 4. 5. teſte, variis externarum injuriarum incurſionibus tanqvam procellis, undiq; laceſſimur, quæ nos toties mori cogunt, priusqvam mori liceat. Sic in hunc omnem ſuam tyrannidem evomit nodoſa Podagra, in iſtum barbaram ſanè lanienam exercet carnifex calculus, in illum omnem ſuam rabiem & peſtem effundit Colica, malum, qvo non atrocius ullum. Alium excoriat Scabies, alium exſugit Phthiſis, alium Scorbutus lentè corrumpit, alium deniqve ſarcina qvaſi omnium morborum, Cachexia premit, modò non opprimit. Qva de *Cachexia* verba facere jamjam animus eſt. Hic enim Affectus eſt valdè celebris ac utrumqve ſexum invadit; multis quoque ſatellitibus ſtipatur, quibuscum Archei noſtri purpureum thronum conſpurcare & ſœpiſſimè evertere ſolet. Ideoq; nobis cordi eſſe debet, ne ejusmodi peregrini hoſpites in hoſpitium Spiritus Vitæ noſtræ irruant & occupent totum. Etenim hic Oeconomus & Promus-Condus, Archeus, omnibus partibus ambroſiam & nectar ſubminiſtrare debet. Ubi vero hoc non fit, & partes cœleſti hoc pabulo privantur, tunc tanqvam ex eqvo Trojano catervatim proſerpunt morbi, & totum corpus inundant, qvorum dux & Autor eſt Cachexia. De cujus Cachexiæ Natura, Cauſis, & Curatione juxta receptam methodum, diſcurrere jamjam inquam, perplacet. Ante autem qvam prima fundamenta hujus diſſertationis ponam, Deum fervidis precibus imploro, ut arma mea aliàs ventoſa & vitrea ſatis ad hoſtem hunc Herculeum devinciendum & evincendum corroborare & fortunare velit.

§. 2. Intrepidè igitur hanc Tragœdiam aggredior & Genea-

logiam hujus affectus Nominalem ante oculos pono. Vox hæc Cachexia conflatur ex duabus voculis Græcis videlicet κακῶς malè & ἕξις habitus vel ἔχω &c. habeo, quaſi malè ſe habere, unde & Cachexia Latinis dicitur Malus Habitus. Qvemadmodum è contrario εὐεξία vocari ſolet Bonus Habitus, ita καχεξία Malus habitus appellitatur. vid. Fel. Platerus de Diſcoloratione cap. 2. p.m. 55. & Joh. Corræi Definit. Med. p. 218. Vocabulum autē Habitus, ſpectari poteſt diverſimodè, videamus ergò quid hic ſignificet? Incomparabilis Vir Gver. Rolfincius in Epit. Affect. Part. cap. 7. inqvit; *Habitus conſiderari poteſt* vel *Generaliter, qvatenus* qvemlibet *corporis Habitum inelegantem, decolorationem & qvemvis ſimplicem mutatarum qvalitatum effectum notat*; vel ſpecialiter, *qvatenus Habitum vitioſum, laxum* & *mollem deſignat*. Modò citatus Joh. Gorræus ſub vocabulo Habitus intelligit tantùm partes ſolidas, quas continentia Hippocrates appellavit. Ego autē in hac ſignificatione Habitum hic accipio, qvatenus deſignat totius corporis ſtructuram, ubi non tantùm partes ſolidæ includuntur, ſed etiam molles, ac præſertim carnoſæ qvæ omnes nutritione opus habent.

§. 3. Hactenus enucleavi vocabuli hujus compoſitionem, ſatius etiam erit adire ejusdem varias denominationes ſive Synonyma. Cachexia Latinis dicitur Malus Habitus, ut ex ſuperioribus liqvet. Excell. Rolfinc. in Epitom. Affect. part. cap. 7. p. 218. Hydropis viam, Clariſſ. Sennertus L. III. P. VI. S. II. cap. 2. p. 704. Principium Hydropis, Paulus Lib. III. cap. 47. τὴν ἀρχὴν τῶν ὑδερωπικῶν παθῶν, h. e. principium hydropicorum morborum, compellant, qvia Cachexia plerumq; præcedit Hydropem. Felix Platerus de Diſcolorat. cap. 2. p.m. 58. Diſcolorationem vocat, quia in Cachexia totius corporis color immutatur. Plurimis etiam audit cum adjectione hac, Cachexia Virginum, quia non facilè Virgo reperiri poterit, quæ non hujus mali atroces vires guſtaverit. Joſephus Qvercetanus pro Virg. Nob. p.m. 410. inqvit, hunc affectum Galli noſtri les palles couleurs i. e. pallidum colorem nuncupant, qvia virginibus hoc malo laxantibus plerumque Poëta canit, pallor in ore ſedet, macies in corpore toto. Germani noſtri phraſi haud inconcinna affectum hunc innuere ſæpè geſtiunt, qvando dicunt; Er ſteckt in keiner guten Haut.

§. 4. Qvia

§. 4. Quia verò Erroris genetrix eſt Æqvivocatio ſemper, allaborandum erit, ne qvis in hanc erroris Scyllam incidat. Fateor qvidem exiguam vel nullam hic occurrere ambiguitatem, interim tamen ne extra oleas vagari qvibusdam ſciolis videar, pauca qvædam hic affigere haud diſplicet. Vox hæc Cachexia poteſt vel generaliter ſumi, qvatenus utrumqve ſexum implicat, vel ſpecialiter, qvatenus diſtingvitur ratione ſexus & cauſæ. Æqvè enim Cachexia imperium habet in fœminas, cumprimis verò Virgines viduasqve ac in viros. Cum autem Cachexia ita abſolutè & ſine additione effertur, tunc plerumq; de Cachexia, quæ ſexum maſculinum affligit, ſermo eſt. Ubi verò vocabulum adjicitur Virginum, tunc ſemper illa Cachexia intelligenda venit, qvæ ſexum ſeqviorem cruciat. Atq; hinc illa pullulaſcit & citò expirat Ambiguitas.

§. 5. Delineata ſic Cachexiæ Genealogia nominali, neceſſe eſt, ut aggrediar Realem. Hercule ſanè & Delio Natatore hic opus eſt, ut talem definitionem in medium proferre valeam, quæ Cachexiæ quidditatem & eſſentiam ex ſententiâ exhauriat. Cauſarum enim & affectuum omnium hîc confluentium multitudo multas parit difficultates. Operoſæ qvidem & laborioſæ Cachexiæ deſcriptiones ubivis obviæ ſunt, nullibi tamen deprehendimus adæqvatam definitionem, qvæ Cachexiæ formalitatem (ut hac voce uti liceat) exprimat, ſed plerumqve ex meris ſignis Cachexiam definiunt, cum tamen Signa peculiariter tractari debeant. Eſt itaq; ut ſepoſitis obſtaculis omnibus meam nunc ediſſeram mentem, *Cachexia, Symptoma Nutritionis depravatæ & imminutæ, nec non qvalitatum mutatarum, à ſangvine crudo, ſeroſo & impuro in habitum totius corporis effuſo, ortum.*

§. 6. Reſolvamus nunc Definitionem in ſua principia. Primas hic tenet Definitum, qvod eſt Cachexia, de hac enim omnis mea erit actio. Definitum autem ſemper præcedere debet definitionem, quia ex definito tota definitio fluit, veluti ex cauſa effectus.

§. 7. Recto jam tramite ad Rationem formalem ſive Genus & ad Differentiam accedo. Tria autem ſunt, ad qvæ omnia, qvæ præter naturam in corpore noſtro ſunt, referre licet, ut habet Galenus lib. de conſtit. art. cap. 15. & lib. 3. de præcognit. ex

pulſ. cap. 1. Cauſa, Morbus & Symptoma. Diſpiciendum mihi erit, cur Cachexiã per Symptoma definiverim; ratio eſt in promtu, qvia Cachexia eſt Actio læſa; Facultas enim Nutrix læditur. Omnis verò Actio læſa eſt Symptoma, teſte Clar. Sennerto Inſt. Lib. II. P. III. Sect. 1. cap. 11. Cauſa verò eſt, quod lædit partem & morbũ vel Symptoma producit. Morbus autẽ eſt, qvod qvid actiones lædit primò & immediatè ſenſibiliter vid. Galenus l. de different. Sympt. cap. 1. l. 2. Hæc tria qvidem concurrunt in omni Cachexia Cauſa, Morbus & Symptoma, interim tamen, qvia in Cachexia primariò Nutritionis actio læditur, meritò Cachexia vocatur Symptoma. Sic ipſe Excell. God. Mœbius in Colleg ſuo Diſput. ſupra Inſtit. Cl. Sennerti Diſput. 9. & 13. Cachexiam inter Symptomata recenſet. Non diffiteor eqvidem, qvod Symptoma etiam qvandoqve poſſit habere rationem cauſæ: Sic ubi Cachexia producit Icterum, Hydropem, Scorbutum, Atrophiam, Febrem & ſimiles affectus. Variant enim res ſecundum diverſum contemplandi modum. Nihilominus tamen Cachexia in ſe conſiderata manet Symptoma, etiamſi alios morbos excitare qveat.

§. 8. Symptomatum au. Magna eſt Varietas, ſic Symptomata alia ſunt Facultatis Naturalis, alia Facultatis Vitalis, alia ſenſuum Externorum & alia internorum, alia facultatis motricis, alia in qvibus omnes vel pleræqve actiones animales læduntur; alia Qvalitatum corporis mutatarum, alia deniq; excretorum & Retentorum, qvibus de Differentiis Symptomatum ſolidisſimè agit Clariſs. noſter Sennertus in Inſtit. lib. II. Part. II. cap. 14. p. 288. Eruenda nunc venit ratio, cur in definitione poſuerim differentiæ loco, Cachexiam eſſe Symptoma Nutritionis depravatæ & imminutæ, nec non Qualitatum mutatarum. Rationem autem reddo hanc; qvia in Cachexia facultas Nutrix principaliter læditur, deinde etiam ob pravam nutritionem qvalitates mutantur. Qvapropter denuò repeto & rectè cum Excell. God. Mœbio in Colleg. Diſp. ſupra Inſtit. Clar. Sennerti Diſp. 9. refero Cachexiam inter Symptomata facultatis Vitalis læſæ.

§. 9. In Definitione Cachexiam Symptoma depravatæ & imminutæ Nutritionis pronunciavi, Perpendenda nunc veniunt hæc duo vocabula depravatæ & imminutæ Nutritionis. In apricò

 eſt,

eſt, Scholas noſtras, tres communiter Actionum læſarum ſtatuere differentias, videlicet Actionem depravatam, imminutam & abolitam de his conſulantur Inſtit. Clar. Sennerti L. II. P. III. Sect. 1. cap. III. p. 295. Sciendum itaq; primò Cachexiam rectè dici poſſe Nutritionem depravatam. Nam æquè publicæ ac privata concoctiones hic naufragium patiuntur. Chylificatio & Sangvificatio planè imperfectè abſolvitur. Sic ubi Facultas Vitalis pravos in corpore cumulat humores, non poteſt non ſeqvi Cachexia & Nutritio depravata. Adeoq; Joh. Riol. in Enchirid. Anatom. Lib. II. p. 129. & Excell. Rolfincius in Epit. Part. Affect. p. 218. rectè ſtatuunt, Cachexiam eſſe Symptoma Nutritionis depravatæ. Videamus ulterius etiam voculam Imminutæ Nutritionis, cujus in definitione pariter facta eſt mentio. In Cachexia ſanè facultas Nutrix langvet & marcet, omnia ægrè & cum difficultate qvadam peragit; deinde etiam ipſe Archeus in ipſo aditu materiæ peccantis remolleſcit qvaſi & jamjam expirare videtur. Unde elucet ratio, cur dixerim Cachexiam eſſe Symptoma Nutritionis imminutæ. Deniqve tertiò demonſtro, qvod Cachexia neqveat eſſe Symptoma Nutritionis Abolitæ, qvia Nutritio abolita totalem infert deſtructionem, qvæ ubi facta eſt, mors immediatè ſeqvitur. Qvemadmodum enim candela, ubi omni pabulo & ſevo deſtituitur, extingvitur, ſic pariter cum noſtra flammula vitæ comparatum eſt, qvamprimum enim humidum radicale planè abſumtum eſt, ceſſat ipſa vita. Electro itaq; clarius erit Cachexiam eſſe Symptoma Nutritionis Imminutæ & depravatæ.

§. 10. Ratio etiam nunc proferenda erit, cur Cachexiam annumeraverim Symptomatibus Qvalitatum Mutatarum? facilis eſt reſponſio, quia in Cachexia conſpicitur facies Hippocratica & color totius corporis pallidus, item deprehenduntur pedum & ſcroti tumores, & omnes adſunt qvalitates, qvæ aliàs abeſſe debebant v. g. humiditas, frigiditas & mollities partium, Vid. de his Symptomatibus. Qvalitatibus Mutat. Inſtit. Clar. Sennert. Lib. II. P. III. S. I. cap. 10. Ipſe qvoqve Excell. Mœbius in Colleg. ſuo Diſp. ſupra Inſtit. Clar. Sennert. Cachexiam inter Symptomata Qvalitatum Mutatarum recenſet. Sed hoc monendum eſt, qvod hæ qvalitates mutatæ omnes ex Nutritione læſa progerminent &

citò

citò etiam evaneſcunt, ſi nutritionis opus in integrum fuerit reſtitutum. De his autem Symtomatibus Qvalit. Mutat. hic prolixus eſſe nolo, qvia in tractatione Cauſarum & Signorum iterum obveniunt.

§. 11. Circa Subjectum nunc verſabor, qvod communiter dupliciter ſolet ſpectari, aliud eſt Principale vel Originale, aliud Minus principale vel adæqvatum. Perpendamus, qvodnam ſit Subjectū Principale cauſæ Principalis? Galenici & antiqvi Medici eſſe Hepar autumāt cū enim de Hepatis affectibus agunt, ſimul etiam de Cachexia tractant. Qvæ qvidem Veterū Sententia, non planè exterminanda, ſed potius cum Neotericorum inventis fulcienda ac concilianda erit. Poſtqvam enim felicitas oculatisſimi Pecqveti canalem iſtum roriferum cordis nobis manifeſtavit, multum huic doctrinæ noſtræ acceſſit ſplendoris & nitoris. Adeoqve dico Subjectum Principale Cachexiæ eſſe viſcera Chylificationi & ſangvificationi, præprimis Jecur & Cor, dicata. Etenim nulla ferè Cachexia ſuboriri poteſt, in qva non hæc duo fulgidisſima Microcoſmi ſidera vel per conſenſum, vel per eſſentiam afficiantur. Sed inſuper notandum, qvod qvandoq; ventriculus, Lien, renes, meſenterium, cerebrum, uterus, pulmones rationem poſſint habere ſubjecti Principalis. Sic Arabum Princeps Avicenna tom. 1. p. 769. Pulmones; item Nobile illud Daniæ jubar Th. Bartholinus Cent. III. Hiſt. 48. p. 135. Pulmones; Clariſſ. Sennertus Lib. III. P. VI. S. II. c. 2. p. 703. Renes; Joſ. Qvercetanus Conſil. Pro Nob. Virg. Cerebrum, Lazarus Riverius Obſerv. X. p. m. 56. Lienem & ventriculum, Trincavell. lib. 3. conſ. 25. p. 176. & ſeqq. ventriculum annotarunt. Conſideravimus itaqve Subjectum Principale ſive ut alii malunt, Partem Mandantem.

§. 12. Ante autem qvàm perveniamus ad Subjectum Minus Principale ſive Partem Recipientem, allubeſcit prius paululum de partibus Transmittentibus ſive viis diſſerere. Qværitur itaqve per qvas vias materia peccans ad habitum corporis tendat? reſpondeo in Genere ſunt omnia vaſa Chylifera cum venis & arteriis, accuratè tamen loqvendo proximæ viæ ſunt arteriæ, ſuccum nutritium ad habitum corporis devehentes. Arteriæ enim juxta doctrinam Harvæanam immediatè alimentum omnibus partibus

com-

communicant. Vid. Juliæ decus Herm. Conring. de Sang. Gener. & Motu Natur. cap. 38. p. 374.

§. 13. Præmiſſis & ſic delineatis viis, tendimus ad partem Recipientem, ſive ad Subjectum (ut dici ſolet) Adæquatum & Minus Principale. Joh. Gorræus Definit. Medic. p. m. 218. his verbis Subjectum hoc deſcribit: hic *ſcil. habitus, ubi per multum receſſit à naturali temperamento, tertiam alimenti concoctionem, qvæ in ipſo hoc eſt, in ſolidis partibus, peragi debet, malè perficit, alimentum corrumpit & in qvalitatem à natura alienam depravat.* Qvæ ſententia mihi planè non eſt ad palatum, ſiquidem Autor hic exiſtimat, in ſolidis tantùm partibus lædi Nutritionem, ſed qvia hæc jam ſuperius diſcuſſa ſunt, nolo hic actum agere. Ego potius cum Clar. Sennerto L. III. P. VI. S. II. c. 2. p. 703. & Excell. Rolfinc. Epitom. Part. Affect. p. 219. Subjectum Adæqvatum Cachexiæ Habitum totius corporis eſſe adſtruo, ubi præprimis intelliguntur iſtæ partes, quæ primò oculos incurrunt, ut cutis & muſculi, interim tamen non excludo partes internas, qvæ etiam nutrimentum requirunt.

§. 14. Adeamus Cauſarum Catalogum, ubi ſe primò ſiſtit Cauſa Principalis & Efficiens, ſecundò autem Cauſa proxima, immediata & materialis. Cauſa igitur Efficiens & Principalis eſt læſio facultatis Nutricis: De hac Joh. Fernelius Univerſ. Medic. p. 587. inqvit: *imbecillitas diminutam concoctionem, cruditatemq́; parit, qvæ in venas & in habitum corporis, utilioris vice alimenti rapta, partibus ſingulis tum apponitur, tum etiam agglutinatur, at non perfectè aſſimilatur: hincque vitioſa non autem vera & perfecta fit Nutritio.* Chymici, inter quos eſt magnus ille Reparator Medicinæ pœnè dixerim Depravator Joh. Bapt. van Helmont & ejus aſſecla Franciſcus Oſvvald Grembs, recurrunt hic ad ſuum Archeum, qvem omnium actionum Autorem eſſe credunt. Sui Archei enim imbecillitatem hic pro cauſa effectrice habent. Qvam primùm dicunt, partes vitali ſuo balſamo, emphyto, calore & nectare illo cœleſti defraudantur, tunc hæc lerna malorum Cachexia ſurripit & centena mala creat. Qvæ qvidem Chymicorum ſententia tolerari poteſt, ſi rectè explicetur. Calidum enim Innatum eſt Animæ noſtræ proximum inſtrumentum, hinc ubi hoc deficit, vel eſt debile, tunc animæ noſtræ actiones impediuntur & hinc provenit mala Nutritio.

tritio. Qvapropter parum refert ſive recurram ad facultates læſas, ſive ad penuriam Calidi Innati.

§. 15. Cauſa Materialis proxima & immediata, eſt ſanguis crudus, ſeroſus & impurus partibus quidem adhærens, ſed non rectè asſimilatus. Ros, gluten & cambium, qvæ tria ſunt tertiæ concoctionis effectus, imperfectè elaborantur & minus rectè partibus apponuntur. Sangvis enim crudus gignitur, vel ob calidi nativi caritatem, vel ob organi vel alimenti vitium. Seroſus naſcitur ſanguis ob viſcerum intemperiem frigidam & humidam & ob humidorum ciborum copiam. Serum enim qvam maximè in Cachexia abundat, teſte Exc. Joh. Theod. Schenck. de Sero Sangvinis cap. 6. p. 51. Impurus deniqve evadit ſangvis ab humoribus in corpore abundantibus, ut ſunt bilis, melancholia & pituita. Aliter ſanè fieri neqvit, ubi enim venæ & arteriæ tali materia impura ſunt infarctæ, neceſſarium eſt Nutritionem ſive Concoctionem tertiam lædi. Sic rectè Fel. Platerus de Cauſis Diſcolorationis p. m. 71. pro materia peccante habet, ſuccum crudum ſeu imperfectè coctum, totius corporis vividum colorem deſtruentē. Chymici pro materia peccante agnoſcunt ♀rum, ſic famoſisſimus Chymiater J. P. Faber in ſua Pathol. Spagyr. cap. 41. & Helmontianæ doctrinæ aſſertor ſtrenuus Franciſc. Oſvv. Grembs in arb. integr. & ruin. homin. lib. 1. c. 1. ſtatuunt, cauſam materialem proximam eſſe, materiam qvandam ♀ream in meſenterio vel cæteris viſceribus reſidentem. Nos autem à veterum opinione nondum recedere volumus, ſed ſeriò aſſerimus & repetimus dicta ſuperiora, ſcil. qvod Cachexiæ proſapia generetur à ſanguine crudo, ſeroſo & impuro. Deinde qvoq; optimè Chymici cum Galenicis conciliari poſſunt, lis enim tantum verſatur in vocabulis; qvapropter in verbis ſimus faciles, modò in rebus conveniamus.

§. 16. Ad Mediatas nunc deſcendimus Cauſas. Ante omnia videamus, qua ratione humores in corpore noſtro contenti Autores & cauſæ Cachexiæ eſſe queant? Sangvini ſœpè admiſcentur alii humores excrementitii, ut ſerum, pituita, bilis, melancholia. Unde etiam dicitur Cachexia alia pura, alia Miſta ſive Cacochymica. Sciendum autem nos hic loqui, de humoribus, qui

præ-

præter naturam in noſtro corpore reperiuntur. Primo ergò ſub examen vocamus *ſerum*, (quod aliàs vehiculum ſangvinis eſſe & partes languentes irrorare debebat,) ubi in corpore abundat, aliam naturam induere ſolet, atteſtante *Excell. Joh. Theod. Schenckio in nobiliſſimo libello de ſero ſangvinis* p. 51. *ſerum generat cachexiam, cum ſimul copia luxuriat.* Unde in Cachexia corpus pallidum & pluma mollius redditur, palpebræ oculorum & tota facies inflatur & quaſi cryſtallinum apparet *teſte Borello in obſervat.* pedes etiam & ſcrotum intumeſcunt. *Bilis* etiam ſœpisſimè ſeſe ſangvini aſſociat, unde cutis color ſubflavus in *Cachexia* conſpicitur. Sangvini etiam qvandoq; ſeſe adjungit *Melancholia*, imprimis ſi ea in copia generetur & per hæmorrhoides, vel per vaſa uteri non evacuetur. Unde cutis color in Cachexia ſubnigra eſſe ſolet. Pro humoris enim peccantis copia Cachexiam comitari ſolent Symptomata Qvalitatum mutatarum.

§. 17. Remotiores Cauſæ etiam eſſe poſſunt *Res Naturales*. Huc pertinent principaliter Temperamentum, ſexus & ætas. *Temperamentũ* qvam maximè *Frigidum & humidum* facit pro generandis crudis humoribus. Sic ubi eſt ventriculus frigidus & humidus, qvi rectè neqve coqvit, neqve digerit, humores bonos ab excrementitiis non ſegregat, ſed Chylum ita impurum ad vas illud pretioſum nectaris vitæ noſtræ ablegat, nunqvam ſane laudabilis ſangvis pro nutritione effici poteſt. Idem qvoqve evenire poteſt, etiamſi ventriculi tonus ſit accuratisſimus, hepar vero vel aliud qvoddam viſcus nobile ſit frigidum. Hujus generis exemplũ cũ intemperie calidâ Epatis & ventriculi frigida annotavit *Trincavell. conſ. 27. p. 179.* Qværitur autem qvomodo tale temperamentum humidum & frigidum acqviratur: tale temperamentum partibus interdum in ipſo generationis actu vel ſtatim poſt ortum imprimitur. Sic ubi morboſi debilesq; viri cum morboſis & delicatulis fœminis matrimonium ineunt, ex qvorum ſeminum commixtione, qvæ ſpes prolis ſanæ? vid. *Fel. Platerus de Cauſis Diſcol. p. 67.* Ita qvoq; *Rodericus à Fonſeca conſult. 48. p. 568.* de puella qvadam refert, qvæ ſtatim poſt ortum cum lacte materno malum Habitum ſuxerat. Qvi in ætate ſenili conſtituti ſunt, plerumq; in Cachexiam incidunt, teſte Magno *Hippocrate*

 Aphor.

Aphor.32. Sect. III. & Joh. Andr. Schmitzio in compend. Med. Pract. Sæpe pueros affligit ob voracitatem, ſenes, mulieres. Qvod ſexum concernit, Virgines imprimis aptisſimæ ſunt ad Cachexiam concipiendam, deinde etiam mulieres, virginibus ſunt proximæ, qvia temperamento humido & frigido gaudent.

§. 18. Pergo jam ad Res *Nonnaturales*, qvas etiam eviſcerabo. Occurrit hic *Aer* imprimis *frigidus & humidus*, qui ambit nos & penetralia noſtri corporis penetrat. Exemplum de Cachexia à frigore contracta obſervavit *Nicol. Fontanus diſcurſ 3. p. 79.* Aër enim inſpirando & per poros ſeſe inſinuando ſangvini ſuas qvalitates imprimit & ejusdem temperiem evertit, unde qvædam ſentina pravorum humorum exſurgit. Hoc autem probè tenendum eſt, aërem frigidum & humidum non niſi in diſpoſitis corporibus Cachexiam producere poſſe. Sic teſte *Coo Aph. 32. Sect. III.* Senes imprimis hoc malo corripiuntur. Deinde etiam Virgines, pueri valdè proclives ſunt in Cachexiam, qvia plerumq; frigida & humidâ temperie gaudent. Hinc ubi forinſecus accedit aer frigidus & humidus, tunc frigus frigori & humores humoribus adduntur, unde facilè Cachexia naſcitur.

§. 19. *Tempora Anni* hic ſicco quod dicitur pede præterire nolo, utpote, qvæ juxta *Hippocr. Aph. 1. & 19. Sect. III.* Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιϛα τίκτουσι νοσήματα. Tempus imprimis *Autumnale & hyemale* ad Cachexiam producendam eſt commodisſimum. Hoc enim tempus eſt frigidisſimum & humidisſimum, venti fremunt, modô pluvia, modò nix omnia tegit & humectat. Inſuper etiam hoc tempore *fructus horarii* ſunt maturi & in copia ingeruntur, unde cruditates coacervantur & totum corpus ad Malum habitum diſponitur.

§. 20. Non qveo non hic etiam mentionem facere *Influxus Aſtralis*, utpote, qvi multas in corpore noſtro mutationes cauſare & morbiferum apparatum augere valet. Principatum hic ſibi vendicat *Luna*, humorum domina, quemadmodum in Macrocoſmo tot tantasq; mutationes parit, ita qvoqve in Microcoſmo humores fundit & confundit. Ita Excell. *Godof. Mœbius de Fund. Med. Phyſ. p. 87.* ubi de Temperamentis agit, infit: Si *in angulis cœli prædominentur Saturni, Veneris & lunæ radii conſpirent plerumqve*

bomi-

hominis temperamentum dant humidum & frigidum ſeu phlegmaticum. Nobile illud Jenenſium ſidus *Rolfincius in Epit. Affect. Part. cap. 9.* ubi de Hydrope agit, inqvit: *in quorum nativitate Luna dominium exercet, phlegmaticis obnoxii creduntur affectibus.* Sed linqvamus hæc Aſtrologis.

§. 21. Ad ea qvoqve, *qvæ aſſumuntur,* devenio. *Victus* imprimis *humidus & frigidus,* qvàm maximè ad geneſin Cachexiæ juvant. *Ebrietates,* utpote quæ corpus humectant & refrigerant, ſummè damnantur. *Fructus horarii* & omnia eſculenta & medicamenta frigida & humida maximam vim habent inducendi malum Habitum. *Potus* autem imprimis *frigidus* in Cachexia eſt qvaſi ſummum venenum. Non tædet hic adducere elegantisſima verba *Franc. Oſvvald. Grembſii in arb. ruin. & integr. hom. p. 464.* Et eſt *aliqvando,* inquit, *potus ex ſua natura nocivus, qvemadmodum cereviſia alba, qvæ poſt ſe multum fecis relinqvit, unde diverſorum morborum ex cachexia ſcaturientium cauſa exiſtit. Dolendum certè Germanorum ſtomachis per ſe debilibus, vinum invideri propter caritatem, qvæ non ob diſtantiam loci; ſed ob aliam reticendam cauſam provenit, hinc mirum non eſt, tot hypochondriacos, tot Cachecticos, tot apoplecticos, tot Aſthmaticos, imò tot leproſorum Xenodochia reperiri, nam nemo dubitat, vinum eam ob cauſam cereviſiæ anteponendum eſſe, eò qvod hoc digeſtionem juvet, dum fermentorum activitates præparat, ſpiritus recreat & minus qvod fecis poſt ſe relinqvat, qvàm cereviſia.*

§. 22. De *Somno & Vigiliis* etiam dicendum erit. Somnus nimius in Cachexia culpatur, ſiqvidem teſte *Fran. Oſvvald. Grembſio p. 470. ſiſtuntur in ſomno excretiones & Archeus pulmonarius non vigoratur, ut debito tempore excrementa expellat, ſed qvantitate laceſſitus cum maximo niſu & virium deperditione tandem expectorat.* Qvemadmodum autem ſomnus nimius multas in corpore accumulat aqvoſitates, ita contra Vigiliæ nimiæ planè plenèqve exſiccant corpus, viſcerum tonum evertunt, concoctionem impediunt, vires exedunt, cruditates conglomerant & obſtructiones relinqvunt, imò ipſum Archeum viribus ita caſtratum ferè extingvunt, unde ſenſim ac ſenſim corpus ad pravum Habitum deducitur.

§. 23. *Motus & Qvies* pariter dant Cauſam Cachexiæ: Nimia

enim

enim *Qvies* corpus excrementis implet, pituitam & balneum diaboli, melancholiam, auget, calorem nativum obtundit, ciborum concoctionem & diſtributionem infeliciorem efficit, corpusqve ita invalidum reddit, ut præ nimia ſegnitie qvaſi diffluere videatur. *Motus* qvoqve ſi in eo exceſſus committatur, multos incommoditates accerſere valet: Spiritus enim & ſolidarum partium ſubſtantiam exhaurit ac disſipat & per conſeqvens totum corpus refrigerat, coctionem remoratur, venas & vaſa ſæpè rumpit. *Vid. Sennert. Inſtit. Lib. II P. II. cap. 2. p. 222.*

§. 24. In hanc claſſem referuntur etiam *Excreta & Retenta.* Cum enim *excreta* alvi urgente natura non ejiciuntur, ſed intra corpus remanent diutius, ſæpè putreſcere incipiunt, & tetros fœtidosq; vapores de ſe ſpargunt, unde ſangvinis purpura inquinatur & officinæ ſangvinis deſtruuntur. Vitium enim per totum corpus ſerpit & promptuarium totius corporis exhaurit & funtùs ferè eradicat. Huc ſpectant etiam *retentiones menſium & hæmorrhoidum.* Si enim ſangvis non per debitas vias certo tempore effluat, citisſimè obſtructiones viſcerum & centena alia Symptomata concitari qveunt. Si etiam Purgationes conſvetæ ἄνω καὶ κάτω vel ſangvinis misſiones intermittantur Cachexiam progignere poſſunt.

§. 25. Agmen tandem rerum Nonnaturalium claudunt *Animi Pathemata.* Si *ſolitudo & mæſtitia* excedant in corporibus, facillimè radix hæc Cachexiæ protuberare poteſt. Sœpè numerò etiam irrequietæ animi pasſiones & illicitæ voluptates hanc ſobolem, Cachexiam enixæ ſunt. Sic *Doctiſſ. Joan Langius Lib. I. epiſt. 21. p. 89.* meminit de Virgine qvadam jam maturà viro, quæ ob aux è deſideratas nuptias in hanc Cachexiæ voraginem inciderat. Virgines enim teſte Magno *Hippocrate de Virg. Morb.* Αἱ δὲ παρθένοι ὁκόσῃσιν ὥρη γάμου παρανδρουμένῃσι, τοῦτο μᾶλλον πάσχουσιν *qvibus nuptiarum tempus advenit, maturæq́; jam viro ſunt, ſpectrorum imaginariis terroribus affliguntur, præſertim cum menſes deſcendunt.* Hinc comperimur, quod, qvamprimum Virgines amoris caſtra ſequi incipiant, etiam ſuppresſione menſium vexentur & palleant, juxta illud Naſonis: *Palleat omnis amans, color hic ſit aptus amanti.* De Cachexia Virginum circa tempus pubertatis *vid. Horſt. P. II. lib. 2. obſ. 26. p. 51.* Et ex his Cachexiæ Virginum cauſa pateſcit.

§. 26.

§. 26. Res Nonnaturales excipiunt *Res Præternaturales* Sunt autem Res Præternaturales juxta *Excell. Mæb. in Coll. ſupra Inſtit. Diſp. 9 p. 160. Intemperies frigida & humida ventriculi, viſcerumqve principaliorum, obſtructiones eorundem validæ & imprimis δυσκρασία.* Siqvidem nulla ferè fuerit Cachexia, qvæ non ſua primordia acceperit vel à viſcerum obſtructione, vel menſium & hæmorrhoidum retentione, vel viſcerum ſcirrho, vel renum calculo. Sic imprimis Cachexia Virginum ſua incunabula plerumqve trahit à *menſium obſtructione* Si enim ſanguis in his, qvi aliàs in nutritionem fœtus cedere debebat, non ſtato tempore excernatur, ſed in corpore longas moras trahat, tunc ad viſcera nobiliora regurgitat & citisſimè malignum fermentum concipit, unde totius Corporis Habitus inficitur. Videri poſſunt de Cachexia ex menſibus retentis orta *Foreſtus l. 19. obſ. 25. Brendelius conſ. 100. p. 353. Fernelius conſ. 33. p. 83.* Ita qvoqve obſervatum eſt, teſte *Cl. Sennerto Lib. III. Med. Pract. P. VI. S. II. c. 2. p. 307.* Cachexiam originem habuiſſe ex renum ulcere incalculoſis. *Nicol. Fontanus* atteſtatur, *diſcurſ. 31. p. 94.* Malum Habitum inductum fuiſſe à liene calculis pleno. *Doctiſſimus Lazarus Riverius Cent. 1. obſ. 68. p. m. 66.* à duritie epatis malum hoc prodiiſſe credit. *Clariſſ. Sennertus in l. c.* exiſtimat, Cachexiam etiam provenire poſſe à lue venerea. Res eſt extra dubium, ſi quidem *Doctiſſimus Poterius in ſuis cent. 2. curat. 5.* hoc confirmat exemplo, ubi ex lue ♀rea & ulceribus oris Cachexia ſuborta fuit. Hinc itaq; ex diverſis locis & qvaſi corporis cloacis maligni vapores ſublimati, cor tentāt, ipſumq; Palladis thronum, cerebrum invadunt, aurium tinnitus, vertigines, capitis dolores & mox totius corporis debilitatem adducunt. In hunc ordinem etiam pertinent *Evacuationes nimiæ*, qvæ qvam maximè cauſare poſſunt Cachexiam. Exemplum habet *Foreſtus l. 19. obſ. 26.* ubi poſt immodicum ſanguinis fluxum Cachexia ſubſecuta eſt. Similem enarrat hiſtoriam de viro qvodam, *Monardus l. 5. epit. Med. 1.* qui, ex immodico ſangvinis per ſedis venas effluxu ad malum Habitum pervenerat. *Matth. de Gradi conſ. 15 p. 46.* à fluxu hæmorrhoidarum proveniſſe cachexiam obſervavit. Item Mocha *conſ. 3. fol. 6.* à fluore Uteri, item *Fel. Platerus lib. 3. p. 59.* ex nimia ſangvinis detractione, *Horſtius Part. 2. lib. 1. obſ. 20.* poſt fœ-

tum

tũm mortuum, *Poterius Cent. 3. Curat. 35. p. 34.* poſt inſignem hæmorrhagiam Malum Habitum exortum fuiſſe. Corpus enim ab ejusmodi magnis evacuationibus refrigeratur & optimis ſpiritibus privatur, unde viſcerum debilitas & hæc triſtis Cataſtrophe Cachexia ſubſequi ſolet.

§. 27. Dum ita in Cauſarum ſylva curiosè diſqviro, ſuccurrit mihi ſingularis ſententia Nobilisſimi Dn. D. Langii, Patroni & Præceptoris mei cordicitus venerandi νῦν ἐν ἁγίοις de Vermibus. Hæc enim doctrina, diſſertationi meæ multùm lucis affert & qvaſi, qvod dicitur, ultimam manum imponit. In Cachexia imprimis Cacochymica & Scorbutica *Animata hæc putredo* ſe conſpiciendam præbet. Qvamprimum enim hæ beſtiolæ è caſtris ſuis egrediuntur turmatim involant in purpurea noſtri corporis prata & optimos ſangvinis flores & herbas depaſcunt. Unde tot dolores, tot anxietates & difficultates catervatim in Cachexia ingruunt. Aſt hujus doctrinæ de Vermibus (imprimis ſi nimis extendatur) Patronum me non profitebor, nec poſſum, ſiqvidem nõ omnibus arridet, interim tamen honoris gratia præterire hanc non volui, nec debui. Ex hactenus autem omnibus dictis videre eſt, qvomodo è parva ſcintilla facilè magnum incendium excitari qveat, qvod deinde ferè totum corpus abſumere poſſit. Qvapropter ubi talis fomes malignus in viſceribus principalioribus delitеſcit omnem non lapidem non movere debemus, ut qvam ocysſimè iſte nidus & fomes Cachexiæ extingvatur; ne per Sympathiam cæteræ partes accendantur & peritus comburantur.

§. 28. Tandem ſic abſoluta Cauſarum Hiſtoria ad *Differentias* me converto. Deſumuntur autem Differentiæ vel à *forma*, vel à *ſubjecto* vel à *Cauſis*. Sic Cachexia *formaliter* conſiderata eſt *Symptoma Nutritionis læſæ & qvalitatum mutatarum*. Sub formali ratione comprehenduntur etiam, *modus generationis, motus, tempus & adjuncta*. Ratione *Generationis* Cachexia alia *lento paſſu* ingreditur, alia *deſubitò* irrumpit, alia per ſe, alia per accidens generatur. Ratione *Motus*, modò eſt incipiens & *in fieri*, modò *facta* vel confirmata ſ. inveterata. Ratione *temporis* interdum *citò* medicamentis cedit, interdum *multum* devorat *tempus*. Ratione *Adjunctorum* vel *Simplex* dicitur vel *Complicata*, Neceſſum hic eſt, ut huic

rei paululum immoremur, qvia rariſſimè Cachexia ſimplex deprehenditur. Cachexia enim ut modo dictum, alia eſt Simplex ſeu pura, qvatenus à ſolo ſangvine, crudo & ſeroſo naſcitur, alia complicata ſeu Miſta, qvatenus multis morbis & Symptomatibus ſtipatur. Sic Cachexiam Autores obſervarunt cum dyſenteria *vid. Merçatus conſ. 5. p.* 19. cum Colico dolore & Paralyſi *Platerus lib. 3. p. 567.* cum Aſthmate *Lælius à Fonte conſult. Med. p. 686.* item cum Aſthmate *Jacob. Fontanus conſ. 5. p. 139.* cum morbo gallico, ulceribus oris, &c. celeberrimus. *Poterius cent. curat. 5.* item cum ventriculi imbecillitate & febre lenta *cent. 2. curat. 97 p. 98. item cent. 3. curat. 37. p. 36.* cum ſurditate & aliis accidentibus *Mercur. tom.* 4. *conſ. 36. fol. 75.* cum inflatione Stomachi *Gabelchov. cent.* 1. *curat. 9. p. 18.* cum catarrhis vehementibus *Scholzius conſil.* 134. *fol.* 391. cum deſtillatione, ſpirandi difficultate, inappetentia & urinæ difficultate *Zecchius conſ. 18. f. 77.* & cum melancholia hypochondriaca, febre lenta, deſtillatione & vigiliis *conſil. 21. fol.* 105. De Cachexia cum urinis lacteis vid. *Bened. Sylvaticus conſ. 29. p. 357.* Cum tumore crurum podagra & ventriculi imbecillitate *Solenander Sect. 3. conſ. 4. p. 223.* Cum intemperie calida epatis & ventriculi frigida, Arthritide, exulceratione cutis & febre *Trincavell. conſ. 27. fol. 179.* cum epatis duritie *Laz. Riverius cent.* 1. *obſ. 68. p. 66.* cum Vertigine, Cephalagia, tinnitu aurium, catarrho, palpitatione cordis, Syncope, dyſpnœa, tumore hypochondriorum atq; pedum œdematoſo *Joſeph. Qvercetanus conſil. Pro Nob. Virg. p. 392.* Cum tumore pedum capitisqve dolore *Philip. Grueling. curut. 81. p. 200. item curat. 69. p. 166.* item cum Scorbuto *curat. 79. p. 190.*

§. 29. Deinde etiam Cachexia ratione *Subjecti* dicitur vel *Univerſalis* vel *Particularis*. *Univerſalis* nuncupatur, qvando totius corporis habitum cum omnibus Chyli & Sangvinis receptaculis occupat. *Particularis* vocitatur, cum ſaltem partem principaliorem obſidet v. gr, Cor, Epar, Lienem, meſenterium, ventriculum, renes, caput, de Cachexia principaliter in capite apparente vid. *Montagnana conſ. 266.* ut ſatis abundè conſtat ex tractatione Subjecti. Deniq; ratione *Cauſarum* Cachexia alia eſt ab *Internis*, alia ab *Externis*. Qvot enim dantur cauſæ à quibus Cachexia pendet,

tot etiam numerari poſſunt differentiæ. Qvi plura hac in re diſcu-pit, adeat Anatomiam Cauſarum; faſtidio enim cramben bis co-ctam repetere.

§ 30. Finita ergò Cachexiæ *Theoria* initium jam capiat *Praxis & Cnratio*. In omni autem cura præmitti debent Signa, utpore monente *Clariſſ. Sennerto de couſ. & diff. qvoniam non cogniti morbi, nulla etiam curatio* eſſe *poteſt*. Medicus καт' ἐξοχὴν ex ſyndrome ſignorum ſuos format conceptus & ſemper ab effectu ad cauſam procedit. Noſtram enim cognitionem hujus vel iſtius effectus à poſteriori ordimur & ſic dum hoc manu ductore utimur non facilè decipi poſſumus. Juvat ergò Cachexiæ Signa proponere. Signa *Diagnoſtica* & Comunia Cachexiæ deſumuntur vel à *Genere*, vel à *ſubjecto*, vel à *cauſis*, vel à *differentiis*, vel ab *Effectu*, vel deniq; à *diſpoſitione partium*. Talia verò ſunt, color totius corporis pallidus, ſubviridis, lividus, plumbeus; imprimis facies tumet, oculorum palpebræ ſunt molles & inflatæ, caro muſculoſa turget. Genæ & palpebræ enim per ſe flaccidæ & laxæ ſunt, unde facilè ſuperfluas ſeroſitates ceu ſpongiæ imbibunt. Pedes qvoqve & manus intumeſcunt: nam humores per totum corpus ruunt, videlicet interdum ad caput, interdum ad manus, interdum ad pedes, interdum ad latera, interdum ad ingvina & ſcrotum. Æger quoqve difficulter reſpirat, ſemper ſcreat, appetitus ceſſat, in ſuis actionibus exeqvendis teſtudine tardior eſt, corpusqve teſte Aëtio ita imbecillum habet, ut crura inter eundum vacillent. Diſtingvendum tamen hic inter *Incipientem* & *confirmatam* Cachexiam, videlicet in *incipiente*, color ſaltem eſt ſubpallidus, nec nimis intumeſcunt palpebræ & pedes, in *Confirmata* verò Cachexia omnia hæc ſunt vehementiora.

§. 31. Propria & uti vocantur *Pathognonomica* ſigna, ex quibus Cachexiam tanqvam ex ungve leonem cognoſcere poſſumus, ſunt, teſte *Joſeph. Qvercetano conſil. Pro Nobil. Virg.* imbecillitas & dolor oris ventriculi, qvē *Græci* καρδιαλγίαν nuncupant, item obſtructio hepatis & lienis, menſtrua ex parte ſuppreſſa, inappetentia, cibiq; faſtidium, crura per vices œdematoſa, pallor imprimis & qvaſi qvædam livida faciei inflatio. Hæc enim Signa omnia

cum

cum prioribus ſunt conjungenda & ſic facilè in cognitionem Cachexiæ pervenire poterimus.

§, 32. Brevisſimis & quod dicitur tribus verbis *Prognoſin* abſolvam, ſcilicet reſpiciendum ſemper eſt ad Symptomata ſimul concurrentia, utrum hæc gravia nec ne, deinde ſubjectum ponderandum an nobile vel ignobile, deniq; etiam cauſæ probè ſunt attendendæ & ſic demum perfectum judicium ferri poteſt, utrum Cachexia ſit affectus periculoſus nec ne? Cachexia cum plerumqve oriatur ab intemperie frigida & humida viſcerum nobiliorum præprimis in ſenectute eſt ferè incurabilis. *Clariſſ. Sennert. Lib. III. Med. Pract. Part. VI. S. II. c. 2. p. 704.* inqvit: *curationem tamen admittit, niſi ſit à pulmonis hydrope, aut morbo aliqvo acuto, aut à præſtantioris alicujus viſceris apoſtemate, aut ſcirrho confirmato aut alio morbo incurabili. Curatu verò facilis eſt*, ſi Cachexia adhuc fuerit in herba & demum in viſceribus nidificare incipiat, vel etiam ſi æger fuerit juvenis vel conſiſtentis ætatis.

§. 33. De Modo *Eventus* pauca annectere placet. Cachexia juxta aſſertum omnium Autorum plerumqve terminatur in Hydropem, vel Leucophlegmatiam, (à qvibus ſaltem gradibus differt, ſive ut Philoſophi loqvi amant, quoad majus & minus) vel etiam ſœpisſimè degenerat in Scorbutum. De Cachexia in Hydropem degenerante videſis *Mercur. tom. 3. conſult. 31. p. 28.* Cum inclinatione ad tabem *Wittich. conſ. 47. p. 309.* Cum criſi mirabili *Schenckium lib. 3. obſ. 470.* De eadem tendente in Scorbutum *Philipp. Grueling. cent. 1. curat. 79. p. 190.*

§. 34. Hactenus ceu in tabula Cachexiam cum vivis ſuis coloribus & moribus depinxi, cognita ergò ſic Cachexiæ indole & natura ordior etiam ipſam *Curam.* Triviale ferè & familiare eſt, Medicum Rationalem nihil citra indicationes tentare poſſe laude dignum. Hinc Medicus, ſi non indicationes h. e. auxiliorum oſtenſiones ritè obſervet, in caſſum curabit. Indicatio autem alia eſt *Curatoria*, quæ viſcera à naturali ſtatu deflectentia ad priſtinum reducere docet. Alia eſt *Præſervatoria*, quæ cauſas morbi reſpicit, quatenus ſubſtantia, qualitate, qvantitate, motu & qviete peccant. Cum ſœpius non tantùm illud qvod factum eſt, tol-

lendum; ſed etiam qvod futurum eſt, per cauſæ ablationem, ne id fiat propulſandum ſit, juxta *Galenum l. 20. c. 1.* Deniqve *Vitalis* Indicatio eſt, qvæ virium cuſtodiam per ſimilia tradit. Ante autem qvàm Medicus auxilia Cachectico adhibeat, cauſas omnes ſuperius adductos optimè animi lance ponderare debet: harum qvidem fateor tanta eſt varietas, ut vel ipſo Æſculapio negotium faceſſere qveant, nihilominus tamen forti ſemper licet eſſe animo & principaliter cauſa proxima qværenda eſt, qvæ malum qvaſi alit & fovet. Sic ubi Cachexia ſua incrementa accipit ab intemperie humida & frigida viſcerum, vel eorundem obſtructione, vel menſium & hæmorrhoidum ſuppresſione, vel a ſuperfluo ſero, vel pituitâ, vel bile & melancholia admixta, vel à nimia humorum evacuatione, vel etiam ultimò ſi cum Cachexia complicatur Scorbutus vel alius hujus farinæ affectus: tunc omnia conveniunt remedia, quæ ſpecificè ad hunc vel iſtum humorem removendum commendantur. In anteceſſum tamen illud monere volo, videlicet qvod in Cachexia omnia illa medicamenta adhiberi posſint, qvæ aliàs in incipiente Hydrope laudantur. Arma hic nobis ad hunc affectum debellandum ſubminiſtrat *Chirurgia, Pharmaceutica & Diæta.*

§. 35. Chirurgia præprimis nobis ſuppeditat *Venæ Sectionem.* Qværitur itaqve an in Cachexia V. S. locum habere qveat? V. S. ut notum eſt, has habet utilitates, ſcilicet ſangvinem corruptum evacuare, ſangvinem immunere, revellere, derivare & refrigerare; cum autem plerumqve à refrigeratione partium nobiliorũ Cachexia progignatur, videtur exinde V. S. nem non commodè & tuto adhiberi poſſe. *Clariſſ. Sennert. Lib. III. Med. Pract. P. VI. S. II. c. 2. p. 307.* ſvadet cum hac cautela V. Snem, imprimis inqvit, ubi nothæ adſunt Plethoræ. Qvapropter ſi æger fuerit Plethoricus & Cacochymicus, qvod indicabit facies roſea, temperamentum ſangvineum, venæ latæ, vel ſi Cachexia orta ſit ex conſveta V. S. intermiſſa, tunc omninò obſervatis obſervandis vena ſecanda, vel ſi ex utero, lochiis retentis, vel hæmorrhoidibus ſuppresſis veniat, venæ in pedibus & talo aperiendæ, ut docet *Avicenna 3. cauſ. Sen. 14. tr. 4. c. 10.* & *Paulus Ægineta l. 3. c. 47.* ſed parcè, & per

& per vices ad tettium vel quartum diem. Ita *Galenus de Sangvinis miſsione*. *c.18.* valdè approbat, ſi ſaphena ſecetur in Cachexia à ſuppreſsione menſium orta.

§. 36. Videamus etiam, qvid de Cauteriis cenſendum ſit, qvæ paſſim apud Autores in Cachexia commendari ſolent, ut faciunt *Clar. Sennert. Lib.III. Med. Pract. P. VI. S. II. c.2 p. 307. Fran. Oſvvald. Grembs. in arb. int. & ruin. homin. l. 2. c. 1. §. 6. Lazar. Riverius obſ. 10. p m. 57. Lælius à Fonte Conſult. Med. p. 686.* Si de *Cauteriis*, qvæ valdoperè laudantur in tumoribus crurum, dicendum qvod res eſt, non poſſum non eorum uſum improbare, ſiquidem in noſtris Regionibus homines delicatiores ſunt & tantos cruciatus ferre neqveunt. Deinde etiam cum ſaltem in confirmata Cachexia ejusmodi tumores adeſſe ſoleant, & confirmata Cachexia nihil aliud ſit, quàm principium Hydropis, ideoqve qvia *Ludovicus Septalius Lib. VII. Animadv.* §. 56. & *Maſſarias* Cauteriorum uſum in hydrope planè rejiciunt; qvapropter ipſe etiam non adeò veſicatoria cruribus applicata in Cachexia laudare poſſum.

§. 37. Nonnulli ſunt, qvi *fontanellas* in Cachexia ſvadere videntur, in qvorum numero præprimis eſt ſœpè allegatus *Franc. Oſvvald. Grembs in arb. ruin. & integ. hom. Lib. II. c. 1. §. 6.* Fonticuli autem ejusmodi tantùm locum habent, in morbis diuturnis; qvapropter, qvia plerumqve Cachexia Cacochymica eſt morbus diuturnus, non adeò inutile eſſe cenſeo, ſi fontanellæ cum aliis ſpecificis confortantibus in Cachexia adhibeantur. Affectus enim hic mitius tractari vult, vires enim planè ſunt exhauſtæ. Qvapropter ejusmodi palliativa cura hic ſuſcipi debet, qvæ morbi mineram per ἐπίκρασιν educat.

§. 38. Qvem autem fructum habeant *Scarificationes & Cucurbitulæ* in Cachexia non ita planum eſt. *Lælius à Fonte conſult. Med. p. 686.* has valdè laudat. De uſu horum eruditiſsimus Vir *Joh. Walæus* in nobiliſsimo ſuo libello de *methodo medendi p. 89.* Ita ſentit: hæ *parum operantur & ſangvinem tantùm ab uno loco in alium trahunt ſeu movent.* Qvapropter, quia hæ miſsiones ſangvinis ipſam ſaburram pravorum humorum funditus eruncare

non poſſunt, meritò rejiciuntur, imprimis ſi non ſimul cum aliis adhibeantur. Hinc peſſimè ſibi qvidam conſulunt, dum lancinant ſua corpora antea morboſa ejusmodi tormentis & debilitatem debilitati addunt. Archeus enim antea ſpiritibus excoriatus magis magisq; ſic torqvetur & ad incitas redigitur.

§. 39. *Pharmacerticum Promptuarium* nobis plurima auxilia ſuggerit, qvæ Cachexiam cum ſuis ſororibus & cognatis affectibus ſtirpitus eliminare valent. Ante omnia autem *Præparantia, calefacientia & aperientia* ſunt præmittenda, utpote qvæ materiam pravam ad evacuandum aptam & facilem efficiant. A *Galenicis* autem imprimis hic commendantur, *radices qvinqve aperientes, fecula ari, bryoniæ* & alia ex Regno Vegetabili huic ſcopo convenientia *Horſtius tom. II. p 286.* valdè celebrat *Syrupum aperitivum Mindereri* A *Chymicis* verò nimiopere deprædicantur *crem. & cryſtalli* ♀, ♀ ⊕*latus, crem.* ♀ ♂ *beatus*, ⊖ *cichor. fœnic. fumar. ſcord card. bened* Pulv *Cachect. Qvercet. Crocus* ♂ *Saccharinus cum* ⊕*libus præparatus Digeſtiv. univerſale.* Talia autem Digeſtiva & præparantia tempore matutino & veſpertiſio ante cibum quotidiè dari poſſunt, uſus verò horum continuari poteſt per tres vel qvatuor dies.

§. 40. Cum autem materia morbifica per ejusmodi Præparantia & Digeſtiva probè eſt caſtigata, ut evacuationi morem gerat, confugiendum eſt ad *Univerſalia*, qvæ materiam vel *per ſuperiora vel inferiora* exturbent. *Vomitoria* præcipuè hic conducunt, ſi vitium hæreat in hypochondriis & in primis viis, ægerqve ad vomendum ſit aptus; contra verò ſi adſit ulcus aut ſcirrhus hæc intermittenda ſunt, talia autem ſunt ⊖ ⊕, ⊖ ♂*tis*, ∇ *raphani*, Pulv. *rad. aſar. in conſerv. ocul. vel gemmar. ſambuc. infuſum vitri* ♄ & *infuſum croci metallorum*, ☿ *vitæ* ritè præparatus, ∇ *benedicta Rulandi, in fuſ fol. nicotian* ♀ *emeticus Crocus metallorum abſynthiacus.* In exhibitione tamen horum vomitoriorum cauti eſſe debemus, ne in doſi peccemus.

§. 41. Vomitione ſic abſoluta malum *Purgationibus* tractetur. Ejusmodi autem Purgantia, non debent eſſe nimis fortia, monente *Cl. noſtro Præceptore*, *Sennerto Lib. III. Med. Pract.*

Sect. II.

Sect. II. c. 2. p. 307. ne imbecillæ corporis vires amplius proſternantur & ſpiritus Vitæ noſtræ planè ſuffocetur, ſed lenia, & humores per vices expurgari debent. *Joh. Tilemannus in Aphor. Hippocr. p.m. 152.* nobis adſtipulatur dicendo: *Purgantia non ſint fortia, ſed mixta cum confortantibus & incidentibus, ſi neceſſitas poſtulet à laxantibus abſtinendum.* Purgantia autem imprimis hic laudantur, quæ aliàs in Hydrope conveniunt, vid. *Cl. Sennert. modò c. l.* Ex ipſo tamen Galenicorum meditullio hæc ſequentia deſumta ſunt v. g. rad. *Galapæ, bryon. ebuli, eſulæ, ireos noſtrat.*, fol. *ſambuc. ſoldanell.* ſem. *ebuli, ſanbuc.*, ſucc. *gumm. gutt.* fl. *acac. perſic. &c.* Compoſita & Chymica ſunt hæc: *cryſtalli ☽æ purgantes, Turpethũ minerale, Extr. & Eſſentia Elater. Extr. catholic. Andernac.* Panchymagogum *Crollii,* Pilulæ ♀rcæ *D. Sennert. vel Qvercetani,* Pilulæ de ammoniaco Qvercet *ſpecificum purgans Paracelſi*, ☿ *dulcis, Extractum eſulæ & hellebori nigri Hartmanni Prax. Chymiatr. p. 142.* qvæ tamen omnia ritè adhibeantur. Hoc tamen adjicere volui, videlicet ſi alvus fuerit adſtricta purgationi poteſt præmitti Clyſter emolliens, ne cathartici vis remoretur, aſt non tantum ante purgationem verùm etiam poſt eam levis & detergens clyſter injici poteſt, qvod & præſtantisſimi Medici ſvadent.

§ 42. Nec minus *Diuretica* magnum huic Curationi addunt calcar, præmisſis tamen Univerſalibus, per ea enim multæ ſeroſitates & aquoſitates educuntur, obſervandum tamen, ut ſemper admiſceantur, quæ partibus ſimul robur afflant. Hoc in caſu autem nullum præſtantius dicitur remedium, affirmante *Roderico à Fonſeca conſult. 48. p. 572.* quàm *therebinthina* qvotidiè manè ad ℥j. cum ſaccharo per aliqvot dies exhibita, nam & Urinas movet & alvum ſiccat & abſtergit. Deinde etiam non ſua caret virtute *Hydragogum minus Fernelii* ad ℈ij. vel iij. per intervalla exhibitum. Hoc tamen inſtar regulæ ſit, ne in Diureticorum uſu excedamus, Magnus enim ille *Horſtius Tom. II. p. 553.* obſervavit, Cachexiam aliqvando à nimis diureticorum uſu introductam fuiſſe.

§. 43. Seqvuntur ordine bonæ Methodi *Diaphoretica*, quæ materiam tenuem, ſubtilem, in tertia regione adhuc ſtagnantem

tem, (ad qvam purgantia pertingere non potuerunt,) per ἀδηλοδιαπνοὴν extrudunt & expellunt. Hujus cenſus autẽ principaliora ſunt, ♁ *diaphoret. bezoarticum minerale, bezoart.* ♂*tiale,* 🜍 ♁ *fixum, Cornu* C. *Eſſentia lignorum.* De his autem Sudoriferis notandum, quod adhiberi non debeant, niſi partes externæ intumeſcant & corpus probè ſit expurgatum.

§. 44. Ad ea nunc fit acceſſus, quæ *ſpecifica* Qvalitate Cachexiam radicitus curant. Hic imprimis ferè ſesqui pedalibus verbis celebrantur ab artis Chymicæ Antiſtitibus *Martialia &* ♀*rea* ad quæ in omni Cachexia tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Principaliſſima autem horũ ſunt: P*ulvis Cachecticus Hartmanni,* P*ulvis Cachecticus ex pretioſis Famigeratiſſimi Chymiatri Magnif. Dn. D. Joh. Michaëlis* Patroni *&* P*ræceptoris mei ætatẽ adorãdi, Pulv. Cachect. Qvercet. ſpecificũ Stomachicum* P*oterii, Vinum Chalybeatum Clar. Sennerti, Eſſentia* ♂ *Hartmanni, Acidulæ artificiales Excell. Kyperi, Schrôderi, Glauberi,* P*lateri, TRa* ♂ *Zvvôlferi, Spiritus aperitivus* P*enoti, Crocus* ♂ *aperitivus cum* ⊖*libus ſaccharinis, Eſſentia cum extracto* ♂ *Mynſichti, Tinctura* ♂ ♀*ſata, Clyſſus.* Qvi verò horũ medicamentorum compoſitiones deſiderat, adeat ipſa Autorum ſcripta, imprimis C*lar. Schröderi,* viri in caſtris noſtris meritisſimi P*harmacop. Lib. III. cap. 2.* deinde qvoqve *Excell. Rolfincii Diſput.* Sex de ♂ & ♀ro. vel ultimo tandem Doctiſſ. Laz. *Riverium* P*ract. Med. p. m. 32. & ſeqq.* Poſt uſum autem horum medicamentorum corpus moveri debet, ut eo melius vim ſuam exſerere queant.

§. 45. Haud ita abſonum erit hic inſerere iſtam controverſiam, quæ aliàs in Scholis noſtris ventilari ſolet, ſcil. qva ratione medicamenta ♂tialia agant? vel in vulgus etiam notum eſt, Martem eſſe hermaphroditicæ naturæ, hoc eſt, eum pollere tùm virtute adſtringendi, tùm aperiendi, unde autem Mars hanc virtutem habeat valdè controvertitur. Ego meo quidem loco exiſtimarem, quod à diverſo præparandi modo & ⊕lo Mars ſuas vires accipiat. Si enim Martem juxta cenſuram & cynoſuram artis Spagyricæ exanimemus, comperimur Martem ⊕lo abundare, quod eſt hermaphroditicæ naturæ. ⊕lum verò ratione præparatio-

ctionis modò adſtringit, modò aperit, quod Mars pariter præſtat. Unde cum *doctisſimo Nathan. Highmoro*, qui hanc controverſiam egregiè in fine libelli ſui elegantisſimi de *Pasſione Hyſterica* tractat, credo ♂tem non ſtypticitate opus hoc reſerandi peragi ſed virtute alia abſtergente, qua in præparatione privatur.

§. 46. Ab Artis noſtræ Proceribus deprædicantur adhuc alia, quæ mirificè partes confortare & viſceribus ſuam juſtam Craſin reſtituere debent, v. g. ▽*æ Spadanæ*, quas *Novator ille Joh. Bapt. von Helmon & Henricus ab Heer* magnifaciunt, item *Tinctura corallorum, Magiſterium corallorum & perlarum, Miſtura Simplex, Elixir Proprietatis Paracelſi. Eſſent. abſynth. ſcolopendr. & alia ex Epaticis, & ſpleneticis*. Inſignis Chymiater *Hartmannus in ſua Prax. Chymiatr. p. m. 43.* laudat ſpiritum ⊕ in conſerva roſarum, florum acetoſæ borraginis, bugloſſæ, violarum ſumtum. Nec ultimi etiam eſt ſubſellii *Nobiliſ. & Excell. Dn. D. Langii Beat. Patroni & Præceptoris mei æviterrium venerandi Tinctura Salutis*, cujus excellentes vires in ſuo Collegio Privato nobis præ aliis mirificè commendabat.

§. 47. Cum au. Cachexiam multa Symptomata & morbi concomitari ſoleant, veluti ex ſuperioribus adductis exemplis hoc claret; neceſſe eſt, ut hæc etiam per certa pharmaca removeantur. Sic ſi *Scorbutus* ſimul cum Cachexia conjungatur, medicamenta *antiſcorbutica cachecticis* debent admiſceri v. gr. *ſpiritus cochlear.* ▽ *naſturt, ſyrupus ſcelotyrb. Eſſentia pini, Eſſent. fumar. compoſit. &c.* vel ſi concurrant *Aſthma*, *lues* ♀*rea, calculus* & hujus generis plures affectus cum Cachexia, tunc his omnibus convenientia remedia cum adjunctis Cachecticis opponi debent, quæ autem remedia peti poſſunt ex propriis ſuis fontibus. Ita quoque procedendum eſt in Cachexia à nimia bonorum humorum effuſione orta, nimirum adſtringentia & Corroborantia uſurpari debent.

§. 48. Hucusq; ſermo fuit de Medicamentis *internis*, breviter etiam de *Externis* acturus ſum. Imprimis in Cachexia occurrunt Symptomata Qualitatum Mutatarum, quæ convenientiſſimè per ejusmodi medicamenta externa amoveri poſſunt: hoc tamen eſt notandum, quod ejusmodi remedia Externa non, niſi præmiſſis Univerſalibus debeant adhiberi. In Cachexia plerum-

qve Confirmata deprehenduntur tumores pedum & ſcroti, ut ex hiſtoria cauſarum liqvet. In Genere verò in hujusmodi tumoribus aqvoſis conveniunt Emplaſtra & unguenta diſcutientia. Trium Imperatorum Medicus *Crato* & acutisſimus herbarum Anatomicus *Carichterus* in tumore pedum concinnant emplaſtrũ ex ſpongia & aceto calido, in qvo parum ⊖ & O ſolut. & ſic pedibus applicant Geranium Rupertianum contuſum & plantis pedum cum beccabunga à & ſummid. abſinth. applicatum eſt expertisſimum remedium teſte *Hartmanno* & Amplisſimo atq; Excell. *Doct. Joh. Michaele. Praeceptore meo parentis inſtar honorando.* Alii etiam in tumore pedum commendare volunt raphanum in orbiculos conciſum. Qvidam verò mirè deprædicant folia qvercus cum ▽ marina cocta & ſic planctis pedum applicata. In tumore autem Scroti, coxarum & crurum Rodericus à Fonſeca cõſult. 48. p. 572. laudat adſtringentia & reſolventia v. g. ſpongias novas, ſiccas, aut etiam vino calido madidas, cruribus & coxis applicatas, ſubligando illas per faſcias, quæ à partibus inferioribus capiant initium. Vel poteſt fieri emplaſtrum ex ſtercore caprillo cum aceto & herbis diſcutientibus, qvod in tumore ſcroti multùm præſtare dicitur.

§. 49. Balnea, Suffimigia, Fomenta, Peſſi, Linimenta & Cerata in Cachexia imprimis Virginum magni æſtimanda ſunt. Balnea verò partim poſſunt eſſe Naturalia ſicuti ex ▽is thermarum, calidioribus, partim artificioſa, qvemadmodum ex herbis v. g. *artemiſia, ſabina, dictamno cretico, cyclamine* & hujus cenſus aliis pro lubitu Medici parari poſſunt. Principatum autem hic inter balnea artificioſa obtinet balneum Mynſichti. Suffimigia & Fomenta ex herbis uterinis adornari qveunt, inter hæc autem primas tenet Suffimigium *Hartmanni in Prax. Chymiatr. p. 143.* deſcriptũ, qvod etiam deſperatisſimas obſtructiones aperire creditur; nimirum paratur lixivium è ſcoriis ſeu recrementis reguli ♃, ebulliendo tantùm cùm ▽ communi & ſuper ferrum vel ſilices candentes funditur, ut vapor per ſellam ad naturalia contingat. Fumus item ſilicum ignitorum ſi cruribus excipiatur, certisſimum eſt remedium. Peſſi qvoqve formari poſſunt ex uterinis, qvalis eſt peſſus *Mynſichti*, qvem in hoc caſu principaliter laudo. Linimenta &

Ce-

Cerata præparari qveunt ex *artemiſia*, herba *☿iali, Sabina &c.* & re-gioni uteri applicari. Hoc tamen ultimum in Cachexia Virginum eſt probatisſimum alexipharmacum, quod & ex ipſo divini Hippocratis penu hauſi: ego verò inqvit, Senex noſter, *præcipio, Virgines hoc morbo afflictas, ut qvamprimum viris cohabitent & copulentur, ſi conceperint, convaleſcent: Si verò in pubertate hoc morbo corripientur, tùm paulò poſt eas invadet, niſi verò nupſerint. Joh. Lang. Epiſt. Med. XI. Lib. I. p. 43.* approbat valdè hoc dictum Magni Hippocratis, dicendo: *hoc ſaluberrimo divini Hippocratis conſilio, ſi medicamentum menſes provocantia & obſtructionum aperitiva, ſangvinis groſſi ſubtiliativi adjunxeris, nihil his præſentius reperire & excogitare poteris: quibus ego in hujus virginei morbi cura nunqvam falſus aut ſpe fui fruſtratus.*

§.50. Agmen tandem *Diæta* claudit, in qva traditur, qvid Cacheticis faciendum, qvidve fugiendum ſit. Hac in parte autem nõ multus ero, ſiquidem ex catalogo cauſarum id abundè conſtat. *Aer* ſit calidus & ſiccus, non paluſtris & humidus. Locus non ſit nimis anguſtus, utpote in qvo, qvod expiravimus ſemel iterum iterumq; inſpirare non cogamur. Cibus ſit parcisſimus & facultate exſiccandi præditus, aromatibus condiatur, loco ⊖ communis ⊖ Hepaticũ Mynſichti vel alia ⊖ approp. vide Borellũ, carnes aſſentur, jurulenta omnia vitentur. *Potus* ſit paucisſimus & imprimis frigidus ceu peſtis abhorreatur. *Exercitia* & labores jejuno corpore conducunt. *Balnea* aluminoſa, 🜍rea, 🜕troſa ſi corpus fuerit præparatum commendantur. *Somnus & Vigiliæ* mediocritatem non excedunt. *Excreta* non remorentur & alvus ſit aperta. *Vultus* ſit hilaris & *triſtitia* ad Antipotes relegetur. *Venus* planè damnatur, utpote ſpoliatrix aurei velleris ſangvinis. Deniq; in genere omnia frigida & humida ceu cane & angue pejora fugienda ſunt.

§.51. Atq; hæc de Cachexia dicta ſufficiant, interea autem nihil magis exopto, qvam ut dexterrimè interpretentur: lubens libensqve agnoſco hoc in genere meam curtam ſuppellectilem. Imprimis autem hoc me erigit, qvod in hac palæſtra & vincere & vinci pulchrum ſit; deinde etiam iſtud Græcorum dicterium mihi multum ſolatii afflat, qvod ita ſonat: ἁμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφώτερος. Sanctæ verò Triadi pro hac largisſima exhibita gratiâ ſacrificaturus ſum Hecatomben.